



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Decreta Provinciae Mediolanensis Sv̄b B. Carolo Borromeo, Cardinale
Archiepiscopo, Diuersis temporibus in sex Concilijs, totidemq[ue]
voluminibus edita

Speciano, Cesare

Brixiae, 1603

Concessio Indvlgentiæ Convenientibus ad concionem, & Missam maiorem,
& ad orationem, & processionem sub vexillo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10553

clausulis, necnon irritantibus decretis quouis modo concessis, approbatis, & innotuatis, etiam si illis caueretur expressè, quòd nemo interdici, suspendi, vel excommunicari possit per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam de indulto huiusmodi mentionem, quibus, eorumq; totis tenoribus, perinde, ac si de verbo ad verbum infererentur presentibus, specialiter, & expressè derogamus, ceterisq; contrarijs quibuscunque. Quoniam verò difficilè esset presentes ad singula loca perferri, volumus earum exemplis etiam impressis, manuq; Notarij publici, ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem fidem in iudicio, & extra illud vbiq; locorū adhiberi, quæ adhiberetur ipsis presentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, Die 23. Decembris. M. D. LXXXI. Pontificatus nostri Anno decimo.

Cæ. Glorierius.

Anno à Natiuitate Domini Millesimo quingentesimo octuagesimo secundo, Indictione vndecima, Die verò Sabbati trigesima mensis Decembris, Pontificatus S.D.N. D. Greg. diuina prouidentia Papæ XIII. Anno decimo, Retroscriptæ literæ in forma Breuis publicatæ, & affixæ fuerunt in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Scipionem de Octauianis Apostolicum Curforem.

Calistus Brunettus Magister Curforum.

CONCESSIO INDVLGENTIÆ CONVENIENTIBVS
ad concionem, & Missam maiorem, & ad orationem, &
processionem sub vexillo.

Gregorius Papa XIII.

AD perpetuam rei memoriam. Cum nihil Pastoralis nostræ sollicitudini equè cordi sit, quàm salus animarum, idcirco, quibus possumus, rationibus Christiadeles ad exercitationes spirituales, piæque officia incitamus, vt hac via incedentes per obseruationem mandatorum Domini, diuinam misericordiam, & gratiam consequi mereantur. Itaq; de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vtriusq; sexus Christianis fidelibus in prouincia Mediolanen. pro tempore existen. qui sacrum Sermonem, concionemve audierint, quoties id egerint, toties quinquaginta dierum; qui verò die festo Missæ majori interfuerint, trium annorum, & totidem quadragenarum; qui Vesperis vnus anni; qui Completorio quinquaginta dierum indulgentiam in forma Ecclesiæ consueta concedimus. Præterea ijs, qui collegiatim sub vexillo suæ Ecclesiæ conuenerint ad visitationem alicuius Ecclesiæ, aut sacræ Reliquiæ toties centum dierum, si ad processionem generalem quinquaginta dierum; si ad processionem particularem viginti quinque dierum: si ad stationem orationis publicæ celebrandæ centum dierum: Iis verò qui consueuerint, vt plurimum hæc officia, & exercitationes spirituales cum Parochiali vicinia collegiatim obire, semel in anno, & sanctissima communionem sumpta in die festo proprio, & præcipuo suæ Parochiæ plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem concedimus, & elargimur. Contrarijs non obstantibus quibuscunque. Presentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 5. Aprilis 1580. Pontificatus nostri Anno octauo.

Cæ. Glorierius.

CON-